



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

VI. Clerici qui citra subdiaconatum matrimonium contrahunt, ab vxoribus non debent separari, nisi de communi consensu ad religionem voluerint transire. Si vero in subdiaconatu & supra ad matrimonium ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

Quod in-
dulit in
præteritū;
vetat in fu-
turum.

tione sustineas ecclesiastica beneficia tam diu habita possi-
dere, prouisurus attentius, ne deinceps clericis coniugatis
ecclesiastica beneficia conferantur. Sed nec eorum aliqui
ad sacros ordines vel ecclesiarum administrationes admit-
tantur, nisi castitatem forte voverint, & perpetuo seruent,
& qui vnicam & virginem habuerint vxorem.

C A P. VI. *Idem Vuigorniensi episcopo.*

Inter cetera sollicitudinituꝝ conuenit studiose diligenter-
que attendere, vt tales ecclesiis tuꝝ gubernationi commis-
sis ministros ordines & proponas, qui domui Domini sciant
decenter disponere, & populo Domini sciant præesse &
prodesse. Peruenit autem ad audientiam nostram, quod
quidam in tua dioecesi commorantur, qui se ecclesiastice
professionis esse fingentes, cum tamen ecclesiastica bene-
ficia habeant matrimonium contrahunt, & adepta bene-
ficia nihilo minus obtinere contendunt. Alii autem, licet
filii sacerdotum existant, patribus suis quasi iure heredi-
tario succedunt: & in his postmodum constituti, minus
licite promouentur. Quod quia indignum est, & sancto-
rum Canonum institutionibus noscitur penitus obuiare:
fraternitati tuꝝ, &c. quatenus illos qui infra subdiaconatu-
m matrimonium contraxerunt, a suis vxoribus nulla ra-
tione permittas diuertere: nisi de communi consensu illi
ad religionem transire voluerint, & ibi in Dei seruitio iug-
iter commorari. Si autem cum vxoribus vixerint, ecclesiastica
beneficia, quæ ad illos tantum, qui assidue in Dei ser-
uitio persistunt, spectare noscuntur, non debent ullatenus
obtinere. Illi vero qui in subdiaconatu & supra ad matri-
monium conuolauerunt, possunt & debent mulieres inui-
tas & renitentes relinquere: nec huiusmodi coniunctio ma-
trimonium, sed contubernium est potius nuncupandum.

C A P. VII. *Idem eidem in eadem epistola.*

De sacerdotibus publice fornicarias habentibus discre-
tioni tuꝝ nihilo minus præcipiendo mandamus, vt eos dili-
genter conuenias, & attentius commoneas, vt fornicar-
ias suas dimittant, & a se prorsus expellant. Quod si forte
admonitionem tuam facere contempserint, sed in im-
munditia sua duxerint persistendum, tu eos, appellatione

Distinctio. 34.
Presbyteris.
Dist. 17.
Mulieris.

ANNO
CHRISTI
1773.

ANNO
CHRISTI
1773.